

Heinrich Schuckmann

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Schuckman, Iuris Doctor ... Ad Exequias ... Matronae Margaretae Förstenowen/ Dn. Zachariae Sebes, Senatoris quondam huius urbis ... relictae Viduae. Hodie hora prima ... ritu parandas. Omnes ac singulos Academiae Cives peramanter invitati

Rostochii: Kilius, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77743699X>

Druck Freier  Zugang



Schuckman, H.,
in M. Forstenow,
uxor. Z. Sebes.

Rostock. 1654.

11.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77743699X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77743699X/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77743699X/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77743699X/phys_0003)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77743699X/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77743699X/phys_0004)

DFG

59.

PROGRAMMA
Quō
RECTOR
Universitatis Rostochiensis
HEINRICUS SCHUCKMAN,
Juris Doctor, Codicis Professor &
Ducalis Consistorij Assessor,
Ad
Exequias

Pia ac Honestissima Matronæ

M A R G A R E T Æ
Förstenowen /

DN. ZACHARIAE SEBES, Senato-
ris quondam hujus urbis prudentissimi, nec
non præfecti præsidii militaris
relictæ Viduæ.

Floriè horā primā pomeridianā solennē
ritu parandas.

Megulos Academiæ Cives peramanter
invitat.



ROSTOCHII,

Excudebat NICOLAUS KILIUS, Academ. Typogr.
Anno 1654.



Si enim quotidiè , quales sint res
mundanæ , & quomodo perpetuâ vi-
cissitudine velut in orbem volvan-
tur, eamq; rationem habeant, ut nec
felicitas ulla, nec infelicitas fixa stabi-
lisq; permaneat, sed celerrimè utraq;
commutetur ac dilabatur. Atq; hanc vicissitudinem
non in nobis tantum nostrisq; actionibus , sed & in o-
mnibus aliis rebus , quas quidem totius mundi Syste-
ma spacioso suo ambitu continet, sive animatis sive in-
animatis deprehendimus. Ea quippe velut naturalis
vis insita est omnib^o creatis corporibus, ut vicibus suis
aut pereant, aut certè mutentur. Ipsum firmamentum si-
spectas, stupendam quidem Maximi Architecti stru-
eturam miraris, fixam tamen eam ac stabilem non in-
venis, sed talem, quæ suis partibus distincta, assiduo
eoq; concitatissimo motu circa axem volvatur. Ad re-
liqua corpora cœlestia faciem si flectis, et si hæc quoq;
admirabilem quandam formam , & quæ oculos pari-
ter atq; animos oblectare possit, præcellentem pulchri-
tudinem splendoremq; præ se ferunt, tantum tamen
abest, ut à mutationibus libera, ut potius perpetuo mo-
tui trebrisq; vicissitudinibus obnoxia sint. Ipsum so-
lis jubar licet splendidissimum sit, sæpè tamen deficit,
& modò oritur, modò occidit, modò obscuratur, mo-
dò nubibus tegitur. Luna quoq; laborat, tabescit, cre-
scit, decrescit. Reliqua deniq; sydera labuntur, cadunt,
aliasq; vices patiuntur. Proximum cœlo aërem si in-
tueris

cueris, mutatur ferè indies, & nunc in ventos, nunc in
nubes, nūc in imbræ abit. Ad aquas si trāsis, maria, ma-
gnumq; oceanum modò fluctibus astuare, modò tran-
quillitatem quandam promittere, statisq; horis acce-
dere & recedere deprehendis. Fontes quoq; & flumina,
alia perpeti pronoq; cursu ad mare ferri, alia alveum
cursumq; mutasse videbis. Si terram intueris, quam u-
nam immobilem pleriq; non abs re statuunt, ipsa ca-
men sæpius tremore occultoq; spiritu concutitur, sæ-
pius vi fluminis vel maris pars abripitur, pars alluvio-
ne incrementum sumit, pars insula efficitur; & vel fri-
gore concreta quasi emortua jacet, vel producto gra-
mine reviviscit, vel ardore dehiscit. Si ulterius arbo-
res, frutices, herbas, grama cōtemplaris, nescio quas
non in his vicissitudines deprehendas; Istæc enim o-
mnia nunc germinant, nunc foliis vestiuntur, mox flo-
rent, paulò post grana fructusq; ferunt, aut semina pro-
ducunt, & modò virent, modò marcescunt. Ad Ani-
malia porrò si oculos flectis, communis omnium sive
brutorum sive rationalium vicissitudo est; quod dum
alia nascuntur & oriuntur, alia vicissim denascantur
& emoriantur, ipsaq; adeò perpetuæ augmentationi
diminutioniq; obnoxia sint; ut taceam singulas, quas
corpora sive hominum sive brutorum subire cogun-
tur mutationes. Tempora si respicis, mirâ istæc juxta
cum cæteris rebus vicissitudine voluntari vides; sic
enim asperam hyemē formosum ver excipit, astatem
frugifer autumnus; & modò emendata sunt tempora,

A. 2

modò

modò maligniora irruunt. Ut ut verò omnium rerum
vicissitudo sit, maximè tamen cù laborare cernuntur
humanæ actiones in omni vitæ genere consideratæ. Si
enim literis ac liberalibus artibus operam navas, alter-
nas variasq; vices non sine molestiâ experieris ; nam
cum alia discis, alia vicissim dedisces, cumq; multa
scias, plurima tamen te adhuc latere advertes, & hinc
noya subindè cognoscendi assiduo teneberis deside-
rio. Si mercaturam facis, ipsa quoq; te rerum vicissi-
tudines abundè docebit : nam cum hodie secundati-
bi fortuna astuleat, cras fortè de adversâ conqueri
habebis : cum hodiè ingenti lucro rem familiarem
auetam putabis, cras eam irreparabili damno imminu-
tam dolebis. Si nayim exerces, modò maritimis æsti-
bus secundæ res affluent, modò rursus refluent, malis
reciprocantibus prospера. In militiam si concedas
atq; ad prælia abeas, & hic fortuna res tuas mutare no-
verit; ut cù fortè in conflictu te superiore potior fueris,
mox vincaris ab eo, quem viceras ante. Ruri degentes
& agriculturæ dediti, suas quoq; vicissitudines mole-
stasq; mutationes experiuntur, dum alternis vicib⁹ agrū
stercorare, proscindere, sulcare, seminare, occare;
dum insuper fruges colligere, arbores alias transferre,
alias inserere, alias excidere coguntur; quibus muta-
tionibus & istæ accedunt, quod non semper frugiferæ
messes expleant aviditatem agricolæ, sed modo fœ-
cundæ sint, modo steriles: & nunc penui annonæ cari-
cas, nunc defectui ubertas succedat. Quod si iam
quoq;

quoq; communem hominum vitā, & juxta eam tres
istos, quibus universum genus humanum distinguitur
status, pensitamus, nullibi non meras vicissitudi-
nes mutationesq; deprehendimus. Ipse Deus mili-
tantem in terris Ecclesiam diversis vicibus incipe-
re, crescere, stare, augeri, florere, premi, rursumq; elu-
ctari, & modò hæresibus implicari, modò ab his emer-
gere; quin & cœtum piorum, in hac vel istâ mundi par-
te, nunc ampliorem, nunc tenuiorem esse voluit; quas
tamen vicissitudines omnes in nominis sui gloriam,
suorumq; incredibile emolumentum sapientissimè
disponit. Politia quibus vicissitudinibus agiten-
tur, quantasq; mutationes patientur, neminem la-
tere potest; videmus enim non rarò hos & istos popu-
los, Respublicas, oppida deficere, opprimi, devallati,
cū è converso alia erigantur, augeantur, florescant Vi-
demus Regna, Imperia, hoc illuc vè transferri, & novas
subinde formas induere, sæpiissimè etiam in ipsam
aragxiæ degenerare. Oeconomicum deniq; statum
suis vicibus variare constat, & modo gaudia concilia-
re, modo mœrorem asserre. Quis enim non novit,
nonnunquam patres matresq; fam: probis iisq; mori-
geris liberis exhilarari, mox eosdem mortis atrocita-
te ademptos dolere; modò conjuges penus copiâ ab-
undare, mox egere & ad paupertatem redigi; quis non
novit, ipsum conjugii fœdus, utur atq; siSSimum sit, & a-
liquamdiu inter amicissimos concordesq; animos
subsistat, mox tamen præter expectationem lethi inju-

riâ idem disrumpi. Adeò ergò incertæ vagæq; sunt res omnes, quas oculis usurpamus, ut solam inconstantiam in rebus humanis constantem esse verè dixeris. Unde verò tanta rerum humanarum vicissitudo, & inconstantia? Sapientes Ethnici eam divino Numinis ascripserunt: Hinc Chilio ille Lacedæmonius interrogatus, quid ageret Jupiter? respondit: Excelsa deprimit, & depressa extollit; indicans, arbitrio Numinis res hominum sursum deorsumq; volvi. Nos potius, qui Christianum nomen profitemur, rerum humanarum vices & inconstantiam non aliunde, nisi ex summi rerum Arbitri, unius veri DEI sapientissimâ ordinatione ac dispositione æstimamus. Voluit nempè Maximus ille Architectus & Plastes, varias fingere formareq; rerum imagines, nec præter se ipsum stabile aut firmum quicquam esse voluit, sed omnia quæ ab hominibus conspicuntur, cōtinuis vicissitudinibus assiduisq; mutationibus subjacere; nullo alio fine, quam ut mortales præsentium rerum varietatem & inconstantiam spectantes, ad Ipsum unicum constans firmumq; bonum concitatiore cursu properarent, & sibi de futuris potius, quæ mensura sunt, quam præsentibus, quæ quovis liquore citius diffluent, diligentius prospicerent. Dolenda ergò summoperè est hominū securitas, quibus præstis vitæ varietas & vanitas raro vel nunquā in mentē venit; quiq; nihil minus quā præsentia transire cogitant; non expendunt peritura omnia, quæ oculis

con-

contemplantur; quos nec in tempestivæ mortes, nec
repentinæ rerum mutationes, nec impropositi morbi
aliæq; infirmitates, quæ quotidie ingruunt, erudire
possunt. Felices contra & beati prædicandi sunt illi,
quibus præsentium rerum varietas & mutabilitas in-
citamento sunt, ad curanda ea diligentius, quæ nun-
quam transibunt. Illa vero sunt, quæ in præsenti fune-
re vel ideò consideranda exhibemus, quod nullum
nobis dubium sit, quin etiam pia, ac honestissi-
ma Matrona MARGARETA Forstenowen/ cuius
emortuum corpus hodiè effertur, ex istâ quam supra
diximus rerum humanarum vicissitudine, quam
& ipsa, dum viveret, proprio exemplo (bis videlicet
legitimi conjugii commoda, bis itidem viduati thorî
detrimenta persentiscens) aliis comprobata dedit,
præsentis quidem vitæ prosperitatem susq; deq; ha-
bere, ad futurâ verò eamq; perennem, in quam nunc
translata est, beatitudinem anxiè aspirare didicerit.
Nata illa fuit Rostochii Anno 1606. Patre viro Integerrimo
& spectatissimo Dn. Cunrado Forstenowen Urbis hujus Se-
natore prudentissimo; Matre MARGARETA Krawels Fœ-
mina honestissimâ & virtutibus muliebris conspicuâ. Hic
insuper longâ serie commemorandi forent reliqui p. defunctæ
Matronæ tam paternæ quam maternæ liniæ Majores, ex
quibus natales suos honestè deduxit; & poscent quidem
commemorari, nisi quo ad paternam stirpem alias ad hoc usq;
tempus Hervordiæ in Westphalia florentissimam, nomina
corum, quos meminisse oportebat, hic loci incognita essent.
Maternæ verò lineæ Ascendentes prolixè recentrere superva-
cancum est; Cum KRAWELIANORUM Familia, cui quoad
mater,

maternam stirpem ortum suum debet nostra pax etris, hic
Rostochii satis superq; nota sit. His ergo natalibus in lucē progressa, paulo post
per lavacrum Baptismi Arbori vitæ inserta, militia Christianæ nomen professā
est; Dehinc à parentibus suis pie ac modestè educata Anno 1622. Viro Clariss. &
Excellentissimo Dn. STEPHANO HEIN Philosoph. Magistro, & Hebrææ
Linguæ in hac Academiâ Profes. P. honesto matrimonio juncta fuit, Eumq;
unius filia ANNÆ parentem fecit, quæ tamen post unum vel alterum men-
sem, ex quo nata esset, in primo ætatis flore rursus vitâ excessit. Cæterum
cum prædicto Dn. Marito pie defuncta Matrona integrōs viginti & unum
annos summâ cum pace ac concordiâ transegit. Priori vero matrimonio An-
no 1643. morte desideratissimi Mariti, DEO ita disponente, soluto, postquam
anum luctus superasset, altero conjugib; Maritum naœta est, virum specta-
ti solum ac prudentissimum Dn. ZACHARIAM SEBES hujus urbis, dum
viveret, Senatorem & præsidii militaris præfectum strenuum, ex quo simili-
ter unicam suscepit filiam ANNAM MARGARETAM adhuc per DEI gra-
tiam superstitem, & nunc anno ætatis nono matris suæ obitum acerbè de-
fletem. Etsi vero hoc felicitatis habuit pie defuncta Matrona, ut ex utroq;
conjugio mater salutaretur, nunquam tamen felicitati isti calamitas defuit,
postquam enim cū posteriore marito sex annos transegisset, regredi eam voluit
Deus ad ærumnosum viduitatis statum; quem, prout erat pietatis ac modestiæ
studiosa, usq; ad extremum vitæ finem ita patienter honesteq; gessit, ut Chris-
tianam viduam & Deo deditam Matronam decet. Die 2. currentis mensis Junii
vehementiore corporis ægritudine laborare cœpit, quæ nec adhibitâ diligentî
operâ Dn. Medici, nec ullis medicamentis depelli potuit; quod advertens pie
defuncta Matrona optimum panchrestum, quod animæ pariter ac corpori ad
salutem mederi poterat, præviâ peccatorum confessione assumpsit, submini-
stratum sibi à confessionario, Viro Reverendo & Clarissimo Dn. M.
ENOCHO SCHWANTENIO Ecclesiaste ad S. Jacobi; Ita ergo
corpore & sanguine Christi refocillata, atq; salutari viatico instructa, con-
stanti fide ac devotione plenoq; rationis usq; die 6. hujus mensis, circa septimam
vespertinam, animam pie ac placidè exhalavit, atq; sic ex hâc fugacissimâ vitâ
in æternam ac immutabilem beatè migravit. Nostrum est Cives Academiæ,
piæ hujus ac honestæ Matronæ Exuvias, honorifico comitatu ad dormitorium
deducere; frequentes igitur exequias eatis magnopere à vobis contendo. Fun-
do vero mansura potius quam peritura curare discite. P. P.
Rostochi, sub Sigillo Academiæ, die 13. Junii
Anno 1654.

Conveniens fiet in templo Mariano hodiè hora primâ pomeridiandæ.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77743699X/phys_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77743699X/phys_0013)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77743699X/phys_0014](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77743699X/phys_0014)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77743699X/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77743699X/phys_0015)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77743699X/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77743699X/phys_0016)



contemplantur; quos nec in
repentinæ rerum mutatione
aliæq; infirmitates, quæ quo
possunt. Felices contra & be
quibus præsentium rerum va
citamento sunt, ad curanda e
quam transibunt. Illa vero sui
re vel ideò consideranda exhibet
nobis dubium sit, quin etiæ
ma Matrona MARGARETA
emortuum corpus hodiè ester
diximus rerum humanarum
& ipsa, dum viveret, proprio
legitimi conjugii commoda, e
detimenta persentiscens) aliis
præsentis quidem vitæ prosper
bere, ad futurā verò eamq; per
translata est, beatitudinem ans
Nata illa fuit Rostochii Anno 1605
& spectatissimo Dn. Cunrado For
natore prudentissimo, Matre MAR
MINA honestissimâ & yirtutibus mul
insuper longâ serie commemorandi.
Matronæ tam paternæ quam mate
quibus natales suos honestè deduxi
commemorari, nisi quo ad paternam
tempus Hervordia in Westphalia fl
corum, quos meministe oportebat, h
Matronæ verò lineæ Ascendentes pre
cancum est: Cum KRAWELIANOR

the scale towards document

032
Patch Reference numbers on UTT
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

Inch mm

